Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25953
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ciant easdem lacrimas consolantur. dum nobis redemptoris nostri speciem promittunt. Sed notandum iuxta historiam est. quod mulieres non ait tulerunt corpus domini mei. sed tulerunt dominum meum. Ipsius namque sacri eloquii est. ut aliquando ex parte totum. aliquando autem ex toto parte significet. Ex parte enim totum signat sicut de iacob filius scriptum est. quia descendit iacob in egiptum in animabus septuaginta. Neque enim in egiptum animae sine corporibus descenderunt. sed solam animam totus homo signat. quia ex parte totum exprimit. Et solum dominicum corpus in monumento iacuerat. et maria non corpus domini sed sublatum dominum quaerebat. uidelicet ex toto designans partem. Haec cum dixisset. conuersa retrorsum uidit iesum stantem. et nesciebat quia iesus est. Notandum quod maria quae adhuc de domini resurrectione dubitabat retrorsum conuersa est ut uideret iesum. quia uidelicet per candem dubitationem suam quasi tergum indomini faciem miserat quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat et dubitabat. uidebat et non agnoscebat eum quem illi et amor ostendebat et dubietas abscondebat. Cui adhuc ignorantia exprimitur cum infertur. Et nesciebat quia iesus esset. Sed dicit ei. O mulier quid ploras. quem quaeris. Interrogat doloris causa ut augeat desiderium. quatenus eum nominare quem quaerebat. in amore eius ardentius estuaret. Illa existimans quia hortulanus esset. dicit ei. Domine. si tu sustulisti eum. dicito mihi ubi posuisti eum. et ego eum tollam. forsitan nec errando haec mulier erraut. quae iesum hortulanum credidit. Anima spiritalium